



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 7. Admiranda in Regno Granatae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

In *Gadibus* Insulâ, fons suauissimus, contrario effectû, æstu exundante deficit, impletur autem deficiente. *Polybius & Strabo lib. 3.*

Ibidem quoque fons aquæ salubris, & iucundæ, qui secundum maris accessum & recessum, intumescit & decrescit. *Plinius l. 2.*

In eadem insulâ nunc planta nascitur, quam vbi semel hominis manus perfricuerit, arefcit. *Ioan. Eusebius.*

Olim hîc quoque arbor, cuius rami terræ infigebantur, ex his fractis lac erumpebat, ex radice humor minio similis. *Strabo lib. 3. Geog.*

*Cordubæ Fratrum Prædicatorum cœnobium* est, in quo campana sponte pulsatur quotiescumq; Religiosus aliquis huius monasterij, aut vir aliquis in ordine illustris propediem moriturus est. *Io. Lupus Episc. Monopolensis.*

#### §. 7. In Regno Granatæ.

Ad oppidum *Antiquariam* fons tantæ potestatis, vt saxa dissoluat, imò & calculos in vesicis ex eo bibentium; ideòque dicitur *Petra-Fons Antiquarius*. *Nierembergius.*

#### §. 8. In Murcia.

*CARAVACÆ* Vulgò *S. Crux de Caranaca*, seruatür Crux è cælo delapsa sacerdoti sacra facturo coram Regulo Mauro. Vrbs illa crebris tempestatibus quatitur; vnicum remedium offerre nimbis horrifonis Crucem. Turris autem in quâ Crux illa seruatür totâ vrbe concussâ non mouetur: inde Cruces toto orbe celebres & fulminum amuleta. *Ioan. Nierembergius.*

Ad *Carthaginem Nouam* nascebatur olim herba (& iam nascitur) ex quâ indigenæ vestes, calceos, casâs, & ignem conficiunt, *spartum* nominatur, animalibus noxium, nisi eius tantum cacumen decerpant; colligitur manibus armatis. *Plinius lib. 19. cap. 2.*

Circumposita autem regio adeò olim fertilis, vt hordeum mense Aprili meteretur, quare hîc plerumque duplex messis. *Idem lib. 18. cap. 7.*